

1527  
Clemens  
Borbonio  
transfum  
denegar.

Borbonius  
Romanam ag-  
greditur.

Borbonius  
mania con-  
scendens in-  
terficitur.

Clemens in  
Hadriani  
molem se re-  
cipit.

Roma a  
Caesareanis  
occupata  
& direpta.

tutos paulisper commeatibus recreasset, quos oppida quædam in itinere ab eo occupata subministraverant, pridie nonas maji urbem oppugnare statuit, certiore spe illius obtainendæ erectus, quod omnia, quæ ad illam tuendam necessaria videbantur, vel negligentia, vel difficultate omessa fuerant; nam Rentius Ceres, cui Clemens Romæ custodiā commiserat, neque suburbia satis muniverat, neque validis præsidiis urbem firmaverat. Scalis itaque ad suburbii mœnia admotis, brevi momento, nullo fere obstante, muros transgressi, suburbium occuparunt. Inter primos, qui mœnia descendere nitebantur, Borbonius aderat, qui dum privati militis munus temere obit, glande plumbea trajectus, execrandæ, quam manibus tenebat, victoriæ fructum cum vita amisit. Verum milites Imperatoris morte cum nihil pristini ardoris restinxissent, martis furore acti, & spoliorum desiderio incensi, quæ ingentia sibi proposuerant, victoriæ cursum alacres prosequabantur. Clemens inopinato tantæ rei eventu perterrefactus, consilii inops, cum aliquandiu in palatio moratus esset, hæsitabundus, animo anxio, & dubia mente prælii exitum expectans, tandem se in Hadriani molem magno suorum numero stipatus recipere statuit. Interea Rentius civitatem circumire; populum evocare; cunctos ad arma impellere; ad sui defensionem hortari. At mentes insuetus terror ita invaserat, ut neque illius vox quidem exaudiri posset: populus, defensionis spe abjecta, præceps fuga latebris salutem quæreret.

Hostes brevi suburbio, & ea parte, quæ trans Tiberim est, potiti, inter Aureliam, & Settimianam portam, urbem neque murorum obice, qui vetustate fere collapsi fuerant, tutam, neque milite circumseptam ingrediuntur. Ita paucarum horarum intervallo amplissima, ac nobiliissima civitas, quondam terrarum domina, ab immanissimis hostibus occupatur. Quidquid crudele, libidinosum, ac tetrum vel militum insolentia, vel victorum superbia perpetrari solet, perpesa. Nam Germani, & Hispani milites urbem ingressi, mirum dictu est, quanta crudelitatis, ac libidinis signa ediderint; non ætas, non sexus ab illorum injuriis, nefandisque sceleribus tuta; sacra, atque profana direpta; Divorum reliquæ aris erutæ; virgines castis